

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Bellum q
cum fonte primo

Ars bellandi, si non praeluditur,
cum fuerit necessaria non habetur.

Discat ergo miles in ocio
quod perficere possit in bello.
Animos subito ad arma non erigunt
nisi qui se ad ipsa idoneos premissa
exercitacione disponunt.
Gestiunt uituli certamina
que implent etate robusta;
catuli in nouellis uenacionibus ludunt.

Sic animi hominum
nisi prius leniter fuerint imbuti,
ad hoc quod tendis idonei nequeunt reperiri.
Primordia cuncta pauida sunt
et aliter timiditas non tollitur
nisi cum rebus necessariis nouitas abrogatur.

Cassiodorus libro I. epistolarum epistola
XXXIX.

Ars enim bellandi, si non praeluditur,
cum fuerit necessaria, non habetur.

Proinde illustris sublimitas tua Salonitanis
militibus, aut cuique se expediendi facultas
obtulerit, pro nostra iussione arma necessaria
procurabit, quia fida rei publicae salus est
defensor armatus.

Discat miles in otio,
quod perficere possit in bello.

Animos subito ad arma non erigunt
nisi qui se ad ipsa idoneos praemissa
exercitacione confidunt.

Gestiunt uituli certamina,
quae impleant aetate robusta:
catuli in nouellis uenacionibus ludunt.

Focos ipsos comprehendere
uirgultis teneris inchoamus:
ceterum si robora primis scintillis adhibeas,
igniculum opprimis, quem fouere contendis.

Sic animi hominum,
nisi prius leniter fuerint imbuti,
ad hoc, quod tendis, idonei nequeunt reperiri.
Primordia cuncta pauida sunt
et aliter timiditas non tollitur,
nisi cum rebus necessariis nouitas abrogatur.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII.*, 1.50
(CCSL 96, A.J. Fridh ed., p.45, ll.6-20).